

Q.K.355,4.

II p
13

X 2312043

PRAELECTIONVM SVARVM
RATIONEM REDDIT
ET DE
ΕΠΟΧΗΙ
PHYSICO NECESSARIA
PRAEFATVR
FRIDERICVS MENZIVS
PHYS. P. P.



PRAELECTIONUM SAVRVM
PRAELECTIONVM RESTIT
TIT. DE
E P O X H
PHYSICO NECESARIAM
PRAELETTAR
TRIDERICAS MENSIAS
TIT. DE



emper iure et merito inuisa doctis, et recte
sapientibus, hominibus fuit illa Scepti-
corum arrogantia, qua omnibus proba-
ta, et sua propria luce clara, in dubium
vocare, et suspecta facere conati sunt;
quae eo proterua producta est, ut suae haesitationis
rationem, et modum, inuenire se posse dissimulauerint,
et certum esse quicquam sapientiam professo penitus
negarint; hos nunc quidem aliis permittimus, dudum
arena fortioribus rationibus depulsos, mina Attica, a
praecone Luciani minime redimendos, ut qui cum
ipsa ratione, ἀταξαῖοι τῇ περὶ πόντων ἐποχῇ σεταῖ,
hominem exuerint, dum finem vitae ignorantiam consti-
tuunt, quae sensum adimat, et faciat trunco in pistri-
no Samosateni ad rationem rectam reuocandos, et, ut
sapiant, dedolando: sibi vero desipient decem illis, su-
perbe oggannitis, τῆς Ἐπεχῆς τρέποντος, quibus omnem hu-
manae cognitionis certitudinem euertere contendunt,
quos pro sua facundia commendat Sextus Empiricus
Philosophus; ^{a)} quosque suo periculo Motheus Vaye-

A 2 rius

a) ιποτυπό. L. I. c. 14.

rius aureum commendet doctrinae totius operis prae-
cipuum caput,^{b)} qui et alio loco non dissimulat, quan-
ti Scepticam Ἐποχὴν καὶ Ἀκατάληψιν faciat, ad christiana
principia relatam.^{c)} Id certe commune cum aliis ha-
bet haec secta, vt arduum sit, ex tot diuersis veterum
Scriptorum de Pyrrhonis, et Sectatorum, dogmate,
sententiis certum ferre iudicium: aliter namque eo-
rum dogmata ex Aristocle repetit Eusebius,^{d)} et alia
interpretatur Gellius,^{e)} et iterum cum reliquis non
satis conuenit Diogeni Laertio,^{f)} quem docte Mena-
gius recensuit: Si quidem ad nos peruenissent decem
Fauorini Libri, quos subtilissime, argutissimeque com-
posuisse Gellius asserit,^{g)} penitus eam inspicere, et
tutius iudicare, datum foret: Clariss. Baelius nulli sci-
entiarum, nisi diuinae certitudini, offici Pyrrhonis ani-
mi fluctuantis inconstantia existimat:^{h)} sed maiori au-
su omne rationi ius extorquere voluisse videtur, in su-
am iniurius aetatis imbecillitate, depontanus Episco-
pus Abrincensis, P. D. Huetius:ⁱ⁾ Nos equidem in re
dubia hoc arbitramur, non omni parte deteriorem es-
se

b) De la Vertu des Payens p.
216. Vol. V. Opp. Edit. min.

c) Doutes de la Philosophie Sce-
ptique Tom. XV. p. 85. Certes la
Sceptique Chretienne a trop de pou-
voirs sur mon Esprit pour me laisser
le chois libre, et son Epoque ou
suspension, son Acatalepse, ou in-
comprehensibilité a l'egard des
connoissances humaines, ont jet-
tes de trop profondes racines dans
mon ame, pour hesiter tant soit peu

la-dessus. Cette Philosophie fournit toujours de si belles, et de si char-
mantess considerations, qu'il est bien difficile de luy en preferer d'autres.

d) Praep. Euang. L.XIV. c.XVIII.

e) N. A. L. XI. c. V.

f) L. IX. 61.

g) loco excitato ante.

h) Dicit. Pyrrhon.

i) De la Foiblesse de l'Esprit
humain.

se veram *έποχην*, quam eorum inconsultus assensus est, qui dogmatici malunt dici, et omne, quicquid sibi primo intuitu, et leui quadam rationis opera adhibita, tanquam verum, notum, apparet admittunt, et probant; et vel ideo, quod aliis doctrina, et ingenii laude celebratis, ita visum, et grauiter assertum est, arripiunt, et tanquam clare cognitum, et sedulo exputatum, incautis venditant, et seuera lege obtrudunt; quod tandem ad genuinam scientiae legem relatum, vel obscurum latet, vel falsum dignoscitur: de quibus equidem vereor, ut de philosophia rectius mereantur, dum in contemtum ignauia adducunt rationis magistram; vti illi odium adferunt contentione strepentes. Si quae vero pars philosophiae alia ignominiam patitur ignauia facilitate, et animi leuitate, physica sane indignum est hac lege peccare, dum pleraque eius capita mentis industriam postulant, et constantem rerum contemplationem, sensuum vsu, exercitatione subiectam, repetito saepius conatu, confirmatam: a ratione vera autem nihil magis alienum, et minime sapientia dignum Philosophi, quam rei primo adspicere ita sibi apparenti, temere fidem adhibere; vel aliena pericula, inconsulto, et coeco assensu facere sua; cum omnino deceat Philosophum Physicum, nihil opera aliena, non satis caute, vel scite adhibita, nec animo satis ab opinione concepta libera, probatum, tanquam suum admittere, et industriae non suae, in re dubia, confidere: et nobis quidem illa stat sententia, nunquam tribui debere alienae

VI

nae curae, vbi datur potestas propriam industriam ad-
 uertere, et sensuum suorum usum rem pertentare: tur-
 pius vero nihil dici meretur, quam de phaenomeni ra-
 tione inuenienda, et reddenda, laborare, et eam arduo
 conatu, et difficilibus nugis confictis, ex suis caussis, si
 Diis placet, euoluere; atque ita demum experiri, con-
 fictum esse naturae aliquod prodigium, cuius ratio in-
 ueniri non potuit, quia nunquam esse id tale, quale
 proditum est, fuit obseruatum, et ludibrio est exposi-
 tus Philosophus, argutis nugis inuentis obtusior. Non
 altius repetam portentosa illa, vulgo narrata commenta
 in stuporem conuertentia, non foemellas vetulas solum,
 sed Philosophos, inter plures, primo loco habitos, qui
 prodigia de coelo repetunt, et futuros inde rerum even-
 tus praecinunt, quando nubibus aurigationes, tanquam
 in circo spectant; ferra collisa, igne micantia, oculos
 praestringere grauiter monent, quibus ad sidera, cauo
 fornice delapsa, scapulae gestiunt; qui que sanguinem,
 coelo pluentem excipiunt; et alia, quae timidulis terricu-
 lamenta cogitata, et venditata sunt; sed horum omnium
 diuini interpretes sunt miraculorum naturae mystae,
 Physici, quando rationes futuri exputant, et ad come-
 tae caudam gentium fortunam metiuntur, et incautos
 terrent, vel spe fallunt, ipsis non minus falsi, sapienti-
 bus derisi; illis etiam, qui non omnem veternum ex-
 cuserunt, a vulgo tamen se discedere, et facilitatem
 credendo fugere, videri amant: cum illis autem comi-
 nus nobis res erit, qui prae reliquis in multis acutum

cer-

cernunt, et veritatem propria industria, et aie intenta,
 quae sitam, et inuentam, iactant, quibus tunc demum
 tuto fidem adhibendam esse, ego quidem, pro mea
 animi exilitate, et exigua in meos sensus fiducia, existi-
 mo, si ipsis his nostris oculis, res in usum venien-
 tes, cernere, et manibus tractare, et in vniuer-
 sum, sensibus excipere, datum est; atque de longius
 remotis, et minus in potestate sitis, tutius suspendi iu-
 dicium, et *ἐποχὴν* seruari, consultum fero: aliter pleris-
 que nostrum videtur, qui, vel nimia aliorum, qui in pri-
 mis sapere creduntur, admiratione capti, eorum peri-
 culo facto, ita attribuunt, ut tanquam suum adoptent,
 et pro suo aliis diuendant: vel, si quid ipsi opinentur,
 et rationem non inueniunt, qua confirmare sententiam,
 ante sibi probatam, queant, satis sibi prospectum existi-
 mant, si quisquam ex principibus magistrorum, sibi
 successisse experimento conatum, asserat: imo sunt
 nouorum inuentorum, et auctae ab se scientiae institu-
 res, qui, ne videantur, nihil, nisi antiquum sapere, quic-
 quid alias nouum sibi experiri datum iactat, ocios arri-
 piunt, et pro suo reddunt; sed hi omnes animi prauitate
 peccant, et in veritatem iniqui sunt: probi autem sunt,
 nec satis tamen cauti, qui integra fide agunt, et metuunt,
 ne in plures iniurii videantur, si de veritate, vulgo lauda-
 ta, et iactata, haesitent, tot tantisque nominibus compro-
 bata, et experientia nixa; hinc in partem ire malunt, non
 potiorem, a qua verum stetit, sed dignitate conspicuam,
 auctoritate grauem, sua industria nihil experti: ex
multis
non



VIII

multis pauca adducemus, quae pluribus probata, et tanquam vsu comperta, adscita sunt, principiorum quasi loco habita, quae si proprius adspiciuntur, et accuratiori indagine perquisita repetuntur, aliter, quam multis creditur, se habere, cognoscuntur: vndique traditur, corpora faece admista, aere excluso, et remoto, nihil intra moueri, nec acescere; animalium partes putorem non contrahere, nec resolui; fructus non corrumpi, nec putrescere; salia diuersae naturae, et formae, in vacuo confusa nihil turbari; nec feruescere; quae omnia, ita saepius dicta, passim accipiuntur, tanquam vera, vsu cognita, et confirmata: at si animi aciem intendas, et curiosior inspicias, frustra dici, et falsa laudari ut vera, clarius dignosces: farina enim, affusa aqua, in pastam subacta, faece inquinata, in vacuo acescet, et fiet rarer, spatio non contenta, quod obtinuit; mustum in vacuo citius acet, quam aeris expositum: caro vacuo abscondita, breui spatio putet, et grauius ferit nares, quam illa, quae iuxta aeris exposita est: pomum in vacuo, parte sapida dimissa, fit insipidum; fruges aqua dilutae macerantur omnino, et feruescunt: salia diuersa, si permisceas in vacuo, citius, fortius, bulliunt, et partes corporum penitus intrant, et tota intimius permeant, et diuellunt; quod operam adhibenti manifestum fiet; atque ergo in aere quaerendam non esse rationem, quod composita diuersa commista, ferueant, cognoscitur: sed quod vase clauso, pleno, liquor non acescat, ex eo est, quod spatium non
affluit.

non datur, ut rarefieret, minus autem, quod aeri accessio denegata est. Non est, ut testium nube tegatur fabula vndique celebrata, quam explodendam proponimus; solo magni Boerhauii nomine fit illustrior;^{k)} sed, quod tanto quidem omnium consensu probatorum afferitur, et successus, ex conatu facto, fide confirmatur, aliter fieri repetita docebit exercitatio. Nec melius respondet euentus periculis ab eodem Philosopho de igne factis, cuius potissimam attributionem constituit, ut dilatet corpora, et rariora faciat; frigus, quod est ignis absentia, eadem denset, et constringat:^{l)} methodus demonstrandi per machinam, primum est in liquido, igne expanso: Vas sit vitrum globosum, in gracilem, angustioris meatus, fistulam porrectum; repleatur aqua, vel limpido fluido alio, ad spectandam in canali pellucido vasis altitudinem; immergatur vas aquae feruenti, et conspicies aquam in fistula altius ascendere, atque adeo dimensione amplius fieri, et latescere; subsidere vero in canali, et arctius collabi, si caldae extrahitur vas, et aeri frigido exponitur: ex hoc demonstratam credunt in igne vim expandendi corpora fluida, quae sit illi propria et natura insita; sed hinc, si ignis corpori decadat, frigus esse dicunt, et nihil reliquum, quod inter partes fluidi medium, easdem a se dimoueat, et in amplius spatium expandat: at, si

B

pro-

- k) Element. Chym. P. III. in Fermentationis Historia n. 23. p. 162. Edit. Lips. et iterum p. 187. Process. L. n. 6. de Aceti orig. vbi libera penitus aëris non admisio-
- nem tantum sed et admisionem requirit, quo fermentatio fiat.
- l) P. I. de Igne p. 124. et p. 132. Edit. Lips.

X

propius oculos, et animum, in rem conuertissent, duo
haec in conspectum ventura erant: primum, quod fri-
gida, feruenti aquae immissa, principio descendat, et
in vas diuertat; et sic demum ignem concipiens ex ca-
lido fluido, tollatur in tubo, et altius vrgatur: alte-
rum, quod non minus attentionem conantis meretur,
hoc est, quod eadem aqua, calore turgens, et per tubum
altius acta, subito frigidæ immersa, ad momentum qui-
dem ascendendo pergat, et altius exsurgat, eadem for-
ma, qua conspecta erat primo tentamine descendere,
quando caldae immersa fuit frigida; sive cadere de-
mum, et ad pristinam altitudinem descendere: et ne
credas aera, qui aquae est admistus, in utroque muta-
tionis modo causam esse, idem fecimus periculum aqua
ab aere pura, et libera: dum vero frigida, feruenti tradi-
ta, descendit principio conatus; et altius tollitur igne im-
prægnata, ante quam frigida collabitur, et huius euen-
tus ratio exquirienda fuit; ex eo namque clarissimus cognoscitur
aliquid esse frigidæ admistum, quod ignis depel-
lat, et cuius locum ipse occupet, idque non sine ratio-
ne coniicimus idem esse, quod frigoris sensum excitat,
et frigidum dici iure possit, cuius rationem Democritus
inuenit, et Gassendus clarissimus reddidit: et aliis proba-
tum est: absentiam vero ignis esse frigus, non modo
hac methodo non demonstratur, sed contrarium ra-
tione evincitur: imo quod astringat corpora frigus,
ut ignis dilatet minus clarum fit altero conatu, quando
metallum ignem concipiens crescere experimur; gra-
cilius fieri ab foco remotum, et ignem dimittens; quod
a Flo-

a Florentinis Philosophis primum obseruatum, ab aliis saepius, auctis, et perfectis machinis, repetitum est, idque ex eo probatum, crassiora fieri dura rigida corpora, si igne impleantur, et distendi; comprimi vero, si frigescant, et spatio constringi coacta arctius.^{m)} At vero, si proprius rem adspicias, insignem reteges fallaciam latentem in opere: Verum namque est turgescere ex flamma quodcumque genus metalla, pro densitatis proprio modo, gradu diuerso; adduci proprius ad se, carbone remoto, pariter negari non potest: attamen id verum non est, frigore densari, et graciliora fieri, et adstricta, corpora: metallum ignitum, ignem inter partes recipit, et rarius factum fit crassius; remoue ignis materiam, et partes in priorem viciniam reductae, in pristinam formam redeunt, et ad spacii priorem modum, et ad naturam propriam: sed vero hoc frigus non est, sed ignis discessus copiae ex corpore, quod repleuerat, et rarefactum in amplius diduxerat; hinc fieri obseruatur ad fornacem calidam in hybernaculo, vbi frigoris nulla cura est, vt ignitum metallum, igne extractum, concidat, et fiat tenuius; modo tantus ignis aestus non est, qui metalla possit ignire, et partes ab se diducere, et facere crassiora, et spacio maiora. At vero haec eadem metalla Florentinae machinae applicabis, eadem forma, et situ, et modo, quo ignem supposuisti trabi metallicae, quam latius expanderes ignitione, et expones aeri frigido, fortius vr-

B 2

genti,

m) Operandi modum sollicite traducere nihil iubeat,
dit Boerhaauius all. loc. vt alios ad-

XII

genti, per hyemem acrius seruentem, et obseruabis metallum non gracilitate tenuari, sed frigore incrementum capere; quod saepius ego conatu pergens expertus sum, et aliis perspectum fuit: non vero aequa longe reuertitur in signata index tabula frigore, quam aestu aucto solet fieri; eiusque caussam reperire minus arduum est in eo, quod ignis, et caloris gradum producere, in nostra potestate situm sit; non autem frigus pro lubitu nostro augere datum; nec tantum sub nostro coelo frigus, quantum ad vtrumque polum, ad quem tarde festinamus, quoniam speramus parum lucri ex aeterna glacie: ligno quando tentatum est, cito concepit frigus, et longitudinis incremento maius factum est; sed ad aquam aere diffusam, aliquis rationem referre poterat; quanquam et ita cautum est, ut arido coelo, et aere sicco, periclitaremur, quem hygrometrum prodidit iuxta positum. Per hyemem praesentibus, adstrictius dicta, opere licebit clarius demonstrare. Sed non minus aliud, quod vulgo placet, et fere argutos torquet, est phaenomenon: aqua per siphonem fluit ex vase, si breuiori crure in fluidum demittitur siphon, et vt fluat, mouetur, vel impulsu facto, vel suetu, incitata: idque eo, vt omne fluidum desillet per siphonem, in quod siphon mersus est, et si ad fundum pertingat, exhausti omne, quod in vase est, perspicitur. Rationem huius phaenomeni inueniri putatum est in pressione aeris ex gutta pluente per crus longius extra aquam, et decrescente aqua in superficie, versus quam aer a stilla ex canale pressius reuertitur: qua vero causa ad hypothesin argute satis confi-

conficta, demum innotuit, fluidum in vacuo etiam moueri per tubum extra vas pendente, et fluere; idque acceptum est, quasi fluidum ad eandem mensuram stillat per canalem dependentem, et sicut in aëre libero, ita pariter in vacuo: ideoque de nouo commento sudandum fuit, quo ratio posset reddi, cur aqua in vacuo aequa, ac in aëre, per siphonem fluat, et vas relinquitur aqua vacuum? magno conatu id actum, ut fucus induceretur quaestioni dubiae, et difficilis solutio-
nis; et parum absuit, quin nodum soluere se posse putaret Philosophus, qui magno instrumenti apparatu opus aggressus, sed in fine defecisse visus est: ⁿ⁾) sed quis non miretur oculatissimorum hominum aciei illusum esse, inspectione rei leuiter facta, qua statim a minus sperato euentu in stuporem acti videntur, vt crederent, non expectantes rei exitum, omne ad fundum vasis fluidum, quo siphonis crus descenderet, exstillare liquidum vase contentum: aliter nobis, curiose dispi-
cientibus, obseruatum est, dum saltim aquam ad certam altitudinem per siphonem hauriri in vacuo, cognouimus; nunquam vero omne diffluere, sed semper manere aliquam partem reliquam in vase per siphonem non elatam: ita vero instruximus negotium, vt aquae in vase retentae immitteretur siphon et aqua age-
retur, vt flueret, sic campanae vitreae suppositum vas est, et hauriri coeptum, et cognitum, stillas fieri rario-
res, quo plus aëris subductum esset, et tandem nihil effluere, si nihil elastici in campana superesset; denuo

B 3

autem

n) Celeberrimus Wolfius Versu-
che in genauer Erkaentniß der Na-

tur und Kunst P. III. c. IX. a §.
123.

XIV

autem fluere, si aëri accessus daretur, quo totum vacuaretur vasculum: idemque fieri deprehensum est siphoni, cochlea machinae pneumaticae affixo, tamdiu clauso, dum aér exhaustus esset, et aperto in vacuo spacio, qui ad mensuram effudit aquam, manente in vase reliqua: quid adeo tanta cura, et opere arduo, nihil agunt Philosophi, dum euentus ficti rationem quaerunt? decebat sane proprius in rem conuertere mentem, et finem expectare, quo oculis haurirent, quod coniectura occuparunt: et quid, si hanc rationem probabilem accipimus? vtique vrgeri aquam aeris compressione, quae superficie aquae incumbat, idque motum iuuare fluidi per canalem propendentem; sed hanc vnam esse fluentis causam iure merito dubitabitur; verum supernam fluidi partem incumbentem infimae, eam per patulam vrgere viam; vsque eo, quo grauitas vim habet vrgendi, qua caret minor eius copia, decrescit autem vis illa aeris decremento, sicque stillat rarius aqua: coniunctis autem de novo vtrinque viribus aeris ingressu, fluere deprehenditur. Portenta placent Physicis, vt ingenium probent, et nouis inuentis phaenomenis, argute commiscantur caussas, et aliis vendant: mortuos in vitam reuocare Diis olim medicastris datum fuit, et vulgo creditum est vera narrari de Aesculapio, artis auctore: at tale quid nostra aetate spargere audere, videtur inuidiam prouocare, fidem suspectam facere Philosophis: sed haec quidem nobis narratur fabula: rest fauces obstrinxit Medicus gallinae, et spiritum exclusit, et mortuam iudicauit volucrem, aliisque persuasit, qui cre-

crederent; ventum excitauit Medicus, et folle, quod putatur, spiritum per fauces, fune sine dubio inciso, per arteriam in pulmones vrsit, et vitam aui mortuae reddidit, quae mortua cognita est, quia motus nullus apparuit: quam narratam rem repetit ex acutissimis vnuſ, Clariss. Derhamus:^{o)} enim vero, vt credamus vitam flatu redditam, dum aēr in pulmones vrgueretur, et per arterias in cordis cauum propelleretur, quo pulsus fieret, difficulter mouebimur, tutius putamus dubitari, et rem eo differri, quo ipsis periculum nobis facere visum est, vt de morte animalis certum ferre iudicium liceat: nec magis fidem adhibebimus Needhami cani, suspendio necato, quod pollicis iudicio innotuit, quia cor nihil subsuntaret, et vitae indicium faceret: incidunt animalis pectus Philosophus, et inspirauit ductui thoracico, et flatu cor feriit, pecusque anima Philosophi reuixit: ^{p)} quid obsecro, si hoc miraculum non est? sed tanta fides est in vnius pollice: ego malim ignorare, dum ipse agam in furcam animal, et de morte suspensi certus sim; et vix meis credam oculis, si quid viderint, quod fide maius est: aliud vero mihi iudicatur esse, cor ad pollicis sensum non palpitate, et aliud, vitam erectam viuenti esse: quid fiet, si proba socrus, et liberalis, animam reddiderit, cui delectus pius gener de sua inflabit ex orci faucibus reductae; et nulla antiqui verbi cura erit, neque enim sic

Mors vltima poena est; nec metuenda viris:
Sed quantus Physico fidem non denegabit? et see-
lus metuet? Nec tamen plura in hunc locum con-
geree-

^{o)}Physico-Theology L.IV.c.7.conf. ^{p)} conf. Celeberr. VVolhus all.
Wolthus Versuche P.III. c.VII.p.477. loc. p. 478.

QK III 13

XVI

geremus, quanquam lepidi saepius illudunt : sunt sane, qui in nubibus ranarum nidos excutiunt, et animalia de coelo praecipitant, et in terra salientes vident exercitus, integris ex tanto lapsu cruribus, quod sanus vix putauerit debere fieri: vermium copiam innumeram ex uno simeto, plurium vtero, erumpere oculati vident, et plebi vendunt; organa autem generationis omnibus concessa, et coitus diuersi sexus, et partus enixus, et foecundam sobolem, non vident, quoniam horum omnium usus ad commendandum prodigia, nullus est: sed alii iterum plus, quam in ipsis rebus est, lyncei perspiciunt; in lumbricis, cochleis, limacibus, culicibus, pulicibus, testes, virgam, et vterum, manibus tractant, et omnibus eandem partium formam esse protestantur, quam ipsi norint, et perspicillo videant, at nugas agunt: plura sunt, quae ignoramus; et dignius sapiente probo est fateri inficitiam quam argutis commentis fallere; sed dignum in primis Physico cauere. Idque dabimus operam facturi, ut muneri docendae Physicae, Regia Clementia nobis demandato, pareamus; sed ea methodo vniuersam naturae scientiam pertractabimus, ut eius principiis generalioribus adiungamus experimenta, neque in fallaciam efficta, neque ad ostentationem exhibita, sed quibus singula capita illustremus, publicis pariter et priuatis praelectionibus; nec minus priuata opera, Literaria repetemus, et illa, quae ad Humanitatem pertinent, ut inde factum trademus, Deus faxit feliciter! Festo Trin. Anno cloccXXXIX.

LIPSIAE,
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.



Q.K.355,4.

II
13

X 2312043

PRAELECTIONVM SVARVM
RATIONEM REDDIT
ET DE
ΕΠΟΧΗ
PHYSICO NECESSARIA
PRAEFATVR
FRIDERICVS MENZIVS
PHYS. P. P.

